

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

communicatis. Inprimis vero aeterno Patri Domini nostri Jesu Christi gratias agimus, quod nos coniensu vestro, in veritatis defensione confirmat. Illud autem quod petitioni nostræ abundè & quidem libentissimè satisfecistis, nunquam satis prædicare possumus. Unum optarem nobis contingere etiam posse, ut historiam actionum cum Illyrico nobis inspicere liceret. Scripsimus propterea ad D. M. Aurifabrum Erfurdiam, ac literas vestras unà misimus. Sed ille neque respondet, neque historiam illam mittit: quam vero ob causam id faciat, nescimus. In nostra Ecclesia, quod cum ingenti dolore conqueri cogor, certamina acriora subinde fiunt. D. Spangenbergius, quem hæctenus lenitate flectere studui, ab Ireneo, qui Mansfeldiæ est, inflammatur, ut summo studio & conatu Illyrici partes tueatur. Comites etiam nostros, imprimis D. Volradum, in suas partes pertrahit. Illoꝝ opera efficitur, ut præla nostra pateant omnium scriptis, qui aliquid in Illyrici defensionem proferunt. Cogemur itaque nolentes volentes, contradicere, & officium nostrum facere. Quod quas turbas daturum, quæ scandala excitaturum sit, quis non videt? Gementes & dolentes hæc in sinum aliorum effundere cogimur. Tentata est reconciliatio per familiare & fraternum colloquium, in quo sperabamus nos posse cum D. Spangenbergio omnia rectè transigere, ut prior inter nos concordia & consensus consisteret. Sed & hoc Ireneus intempestivis interpellationibus impedivit, accedens, etiam à nobis non vocatus. Itaque nunc minus nobis spei est. Nos ad iudicium Ecclesiæ provocamus; illi hoc prorsus fugiunt & detrectant. Ac ad me Spangenbergius scripsit, illos omnes à Spiritu Sancto desereri, qui vel paululum incipiunt ab Illyrico, viro Dei, abalienari. Hæc tam periculosa, & ne quid gravius dicam, inconsiderata pronuntiatio, me supra modum conturbat, & tantum viri casum ex animo doleo. Precibus itaque vestris piis nos, & Ecclesiam nostram, quæ in Patria viri DEI, Lutheri, est, commendamus, ac ut nos porro consilio juvetis, quantum possumus, oramus. Hæc paucis, in summo dolore, ad literas vestras respondere volui. Reverendiss. vestro ministerio, nostro nomine salutem adscribo. In Christo rectiss. vos omnes valere cupimus. Datæ Islebii, die 20. Augusti, Anno 1572.

Tuus ex animo frater

Hieronymus Mencilius, S.



CXII.

Salutem in Domino.

REstè tuas accepi, mi Philippe; itaque etsi propediem una erimus, tamen paucis respondebo. Nestoriana instauratio jacet, propter obitum conju-

gis Syllami; itaque ipse nunc in Tusculano est. Mortua est VIII. Augusti, quo die Limeri consulis funus elatum est, & postridie eodem propè cum illo tempore D. Montii. Hunc dysenteria necavit, quæ nunc etiam prætozem Füllium ita affligit, ut vix putetur posse vivere; & D. Ludovicus Grempius cum ardentissimâ febre non sine vitæ periculo confectus est hoc mense: accesserat & apostema in ipsis faucibus, cui ramen chirurgus Fœlix satis felicitatem curationem adhibuit. Cæterum de febre melius sperant, præsertim sublato apostemate, quod certissimam propè mortem, ei intentabat. De affine vestro prius significo, rectè eum iterum habere cepisse, quam narrem, ex quam præsentem morte sit ereptus. Corripuerat eum largissima quædam diarrhœa & eodem momento spasmi & convulsiones intensissimæ pedes invalerant, tùm pectus ipsum defluxionibus à capite tantum non suffocatum coartabatur. Sed jam, ut dixi, rectè habet, & suæ officinæ munera denuò obit, multa Hero de temperantia pollicitus. Dysenteria etiam laboravit Golius, quæ causa est, eorum prælectiones suas nondum inchoarit; sed jam habet meliusculè. Benschius & Baner ex eodem morbo graviter adhuc decumbunt, ille quidem uno eum tribus liberis infantibus, hic duos jam amiserat, priusquam ipse male habere cœpisset. Sed ut ad id, unde eram digressus, revertar, instauratio Academica jacet, Nestorio absente, imò non jacet. Nam à Calend. Augusti posteaquam de unis thesibus, præside Planero, duobus Sabbathis Æsculapides respondisset, sanè quàm frigidè, Studioforum, Professorum, Præsidis iudicio; nullis comitiis, neque auspiciis, nemine Scholarcha aut Professore nisi Nestoriano, conscio, regia quadam, imò Ariovistica autoritate, Collega datus est Planero invito, ac propè reluctanti. Cœpit autem docere perendie, h. e. XVIII. hujus. Prolegomena fuerunt: *ἡ ἀρχὴ τῆς φιλοσοφίας ἢ τῆς ἐπιστήμης*; τὸ πρῶτον τῆς φιλοσοφίας: τὰς ἐπιστήμης ἀνωτάτω: διὰ τὴν ἀνωτάτω τῆς φιλοσοφίας: τὸ πρῶτον τῆς φιλοσοφίας: τὸ πρῶτον τῆς φιλοσοφίας. Quid rides? An non præclara hæc, & minimè simplicia? licet ex Simplicii repetita categoriis. Quod ego tantum abest ut repræhendam, ut laudandum etiam existimem, si semper inveniet, eam, quæ instituto conveniant, & amphoram, ita ut instituit, efficiat. Explicandum sibi sumsit *περὶ κένου*: quem librum compendium esse nugatus est totius doctrinæ Physicæ: in hunc ipsum usum ab Aristotele scriptum. Videsne autem, mi Philippe, qui sint Professores adolescentuli, à quibus tantum Academia cepit damni? An idèd quod in vobis & viro opt. parente vestro repræhensum fuit, in hoc & in Nestorio probandum est, quia duo cum faciunt idem, ut ille ait in Comædia, non est idem? Tandem nacti sumus Declarationem, ut ille nominat, Epistolæ Sturmianæ, ut ego arbitror, Diabolicam invectivam. Dixi nuper Nervio, & scio, ad istum emanaturum esse sermonem hunc meum: Persuassimū mihi esse, quo tempore Sturmius eam Invectivam scripserit, non tantum spiritua-

Spiritualiter obsessum fuisse, ut nos mali Theologi malè loquimur, sed etiam corporaliter; mirarique me, cur familiares animadverso manifesto furore non vincendum curarint. Nihil est in tota Heri vita, nihil in omnibus tot annorum actionibus, nihil in officiis & advocacionibus amicorum, quod non turpissimè traductum, virulentissimè exagitarum, acerbissimis calumniis depravatam sit. Objicit ei incitiam linguæ Latinæ, barbariem, negligentiam, tyrannidem in tribus Collegiis, duobus Scholasticorum, & tertio Theologorum, avaritiam inexplebilem, ut qui de dimenso eorum, qui in Prædicatorio vivunt, quotannis trecentos aureos abradat. Tum vestra *επιθυμία* quomodo accipi putatis? quomodo etiam me? cui vulnera & cruentationem minatur. Sed beati istis, inquit DOMINUS, cum dixerint in vos omne verbum málum, mentientes propter nomen meum. Et est data eo scripto ansa Theologis, ut intercedere velint primum apud ipsum, deinde apud Magistratum etiam. Quatuor sunt autem capita, quæ ad totum nostrum ordinem pertinent. Objicit Hero labefactionem concordia, damnationem injustam Piscatoris, exclusionem à conventu Ecclesiastico Professorum Philosophiæ, vocationem Illyrici, magnis propositis præmiis, ad turbendam scholam, & moliendas res novas. De his Faber, & qui ei de Consilio adjungentur, privatim initio eum admonebit, mendacii arguet, in se & conventum querelas has derivabit. Si agnosceret culpam, ita, ut satisfaciat conventui, vides, quo loco simus futuri; si non agnosceret, accusabitur apud Magistratum horum ipsorum capitum, concordia toties violata, Piscatoris legitimo Præceptorum & Scholarcharum judicio damnati receptationis, *ἀποστασιολογίας*, qui cum Scholam non benè administret, Ecclesiæ etiam gubernationem invadat, & conspirationis factæ cum aliquot Professoribus in perniciem Ecclesiæ. Sed hæc quorsum evasura sint, novit DOMINUS, quem oro, ut pacem & tranquillitatem nobis largiatur. De Illyrico apud nos silent omnia, nec scimus hicne clam sit, quod quibusdam videtur, an alio profectus, ut nuper scribebam. Francofurti tamen videbimus eum, credo. Tribunorum istorum importunitatem Herus ridendam potius, quàm refutandam existimat, tibi que significare jussit, ut ab homine rixoso & turbulento abstineas. Restè Lutherus cum Emsero Lipsico congressurus suo euidam libello præfixit: Hoc scio pro certo: quòd si cum stercore certo, vinco vel vincor, semper ego maculor. Et Syracidis est sententia: Qui tangit picem, inquinari ab ea. Posteaquam ergo lecta Rupii epistolâ Herus hoc respondit, non putavi ei responsionem quoque tuam exhibendam, maximè in occupationum aliquot concursu. Scripta tamen est ita, ut si misisses, ille esset ornatus ex virtutibus, tu præter officium nihil fecisse potuisses videri. Sed si missa nondum est, ut scribis, satius forsitan fuerit, non irritare crabrones. De itinere jam tibi semel atque iterum pollicitus sum, & placet

hospitium. Reperiemus in illa vanitate montium leonem nostrum, cum quo confabulari licebit. Ex iis, quæ de Disputatione postea addis, suspicor, vos in Suevia Helverios reperisse. Dn Varnbülero renunciabis, nullum esse in hacurbe exemplum libelli Psalmorum, à Theodosio excusi. Quod si Lipsicum ei placet, eadem forma, iisdem typis, eadem umbilicorum varietate, curabo, ut quàm primum habeat. Oetingensi mitto volumina, quæ petiit, quæ tu ei tanquam à te donabis, nos de precio facile conveniemus. Puto me omnia tuæ Epistolæ capita percurrisse, significasse etiam, quæ erant significanda. Quod si qua, ut accidere mihi frequenter solet, exciderant, tu & Erasmus frater percontando sarcietis memoriam meam. Lieblerus ab Hero & à me honorificè tractatus est, ab illo domi nostræ, à me ad insigne Lucernæ, sed literas ei non dedimus, quod negaret, se rectà Tubingam proficisci. Resalutant te & fratrem, quos vestro nomine iussi salvere. Si amicorum, si fratrum, communis omnia, sit hæc quoque communis vobis. Valete, 21. August. 72.

Vester quantus quantus per omnia ðια παντός

Pappus.



CXIII.

Non sum leviter conturbatus, à lecta tua epistola, quod videam, quantum Sathanas possit in impediendis bonis consiliis, & labefactanda ministerii autoritate, quam vel maximè sarram tectamque esse oporteat, sed nec dum obtinuit, quod vellet maximè, dum durat eorum consensus, quibus uberiora commissa sunt, & vir linguosus non dirigeret in terra, nec dubito de gratia DEI, quin, si vivam, vel non in multos usque annos, aliam rerum faciem me conspecturum esse sperem. Tu modo quod facis, cum constantia patientiam Christi servo dignam retineas, & te Christo consecres totum, cui militas huc usque, ut gloriosè cum sanctis omnibus, à peracto certamine ritè coroneris. Quæro verò te vehementer, ut subinde me de rebus vestris facias certiozem. Coccius noster mitius habet ex febrî, quam diurnam & molestam tulit, sed nec dum sic restitutus est, ut firma satis uratur valetudine, qui propter ~~non abest~~ tuam sanctissimam, gratias tibi agit, neque levi cura propter tuam, tuorumque salutem afficitur. Minister alter, de quo scriperam, nuper sanctissimus collega, etiamnum morbo nimis chronico detinetur, pro quo non desinimus orare, ut donetur Ecclesiæ organum fidele & idoneum. Carterum qui has perfert literas, opus habet tuo consilio, meus ~~augustinus~~ hæctenus, juvenis honestissimus,